



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmae Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

De quarto errore qui ponit animas non de nouo creari:qui diuersificatur in quatuor oppositos errores. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46132)

datum Sara: Sic, inquit, sanctæ mulieres sperantes in Deo, non in ornatu vestiũ ornabãt se subiectæ propriis viris: sicut Sara obediebat Abraham. Et Loth cõmendatur 2. Pet. 2. Et iustũ Loth oppressum à nefandorum iniuriã eripuit, &c. habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabãt. Patet ergo, quòd boni fuerunt antiqui patres & saluati.

De quarto errore qui ponit animas non de nouo creari: qui diuersificatur in quatuor oppositos errores.

CAP. XII.

Sequitur de quarto errore, qui ponit animas de nouo non creari quæ corporibus infunduntur. Qui error diuersificatur in quatuor oppositos errores. Primus ponit in corporib⁹ nõ esse animas, nisi angelos apostatas, seu demones, qui in eis includuntur, vt agant ibi pœnitentiã, & successiuè possunt esse in diuersis corporibus: vt si pœnitentiam non agunt in vno corpore, agant illã in alio. Secundus ponit duas animas esse in corporibus. De quo errore loquitur Aug. in lib. de duabus animabus. Tertius ponit animas creatas simul fuisse. Quartus ponit animas sicut corpora seminari. Licet autẽ hi quatuor errores diuersi sint, tamen in hoc conueniunt, quòd veritati fidei catholicæ contradicunt, quæ asserit animas creari, & creando corporibus infundi, & infundendo creari. Quam veritatem cõfirmat illud Psal. Qui finxit sigillatim corda eorũ. gl. i. creauit animas singulas per se ex nihilo. Aug. in ecclesiasticis dogmatibus: Credendum est, & firmiter tenendũ, q̄ animæ nõ sunt ab initio creatæ, vt Origenes fingit: nec cũ corporibus seminãtur, vt Luciferiani, & Ceryllus, & quidã Latinorũ affirmãt: sed dicim⁹ animã infundi & creari simul in corpore cõpacto & formato, vt viuat in vtero homo.

De errore primo qui ponit animas esse angelos apostatas.

CAP. XIII.

Illi qui sunt primi erroris aliqua verba Sacræ scripturæ adducunt ad confirmatiõem ipsius impertinentia, tamẽ ad propositũ, si verè intelligãtur. Legitur Mat. 10. Ite ad oues quæ perierunt domus Israël. Oves illas intelligunt angelos apostatas ad quos solos saluandos, missus est filius Dei, vt aiunt, secundũ illud Mat. 15. Nõ sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Sed si inspiciãtur quæ præcedũt, apparet ridiculosam esse hanc expositionem. Christus em̄ missurus. Apostolos ante passionem suam prohibuit eis ne irent ad gætes vel Samaritanos, ne Iudei haberet occasionem repellendi eum: ideo dixit eis: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorũ ne intraueritis: sed potius ite ad oues, &c. Vnde patet oues istas de quib⁹ loqui-